ENCHIRIDION
CHRISIANÆ FIDEI,
EX PATRIBVS
DESVMPTVM:

Per FRANCISCVM DILLINGHAMVM, *Baccalaureum in Theologia.*

Hieronymus in 2. Caput mi.

Nihil tam facile quam otioſum & dormientem de aliorum labore & vigilijs diſputare.

LONDINI,
Excudebat *Guilielmus Iones.*
Anno, 1617.

Dr. D. WILLIAMS'S LIBRARY
RED CROSS STREET
LONDON.

HONORATISSIMO viro Reuerendiſſimóq; in Chriſto Patri, GEORGIO ABBATO, Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Regiæ Maieſtati à ſecretioribus Conciliis, gratiam & pacem.

INdubio verſatus eſt animus (Honorande vir) Enchiridion hoc prelo mandarem, necne: vereor etenim ne Mineruæ cultores, multitudine librorum et offendantur et obruantur. Mihi non eſt animus, cuiquam offenſioni eſſe, vel minimo Chriſtianorum. Edidi itaque hunc libellum, multis de cauſis; primò, vt allicerē homines ad lectionem Patrum; quæ enim maior cauſa eſſe poteſt, alliciendi homines ad lectionem antiquorum quàm teſtimonium veritatis? quod certè antiqui Patres clariſſimè præbent, deinde, vt os obluderem Papiſtis, qui crepant, Patres à partibus ſuis ſtare; poſtremò, vt extaret confeſsio fidei, ex Patribus deſumpta: nam cùm multi clariſsimi ari, confeſsiones fidei ex ſacris Literis hauſtas, typis mandârunt; quid impediret quo minùs formula fidei, ex veteribus collecta inuulgaretur? At inquiet aliquis, narra (quæſo) quare

Patres deferunt primatum Petro, *& Ecclesiæ Romanæ? hæc nos deterrent à legendis veteribus Vt his breuiter respondeam, deferunt Patres primatum* Petro *ob virtutem*, Euseb. lib. 2 hist. cap. 14. *Optima, illa Dei omnium, & humano generi amica prouidentia, constantissimum & magnum Apostolum* Petrum *reliquorum omnium virtutis gratia principem Romam deduxit: Iam verò Ecclesia Romanæ primatum tribuere quia Apostolorum Schola, & pietatis metropolis fuit ab initio, vt scribit* Sozomen, lib. 5. cap. 7. *observa (Lector) monarchiam* Petri *non assignari causam, sed Apostolos, & pietatem infinitum esset omnibus respondere. Proinde memor epistolaris negotij, ad te venio, (honorande Antistes) cui meritissime hoc opus inscribitur: vigilantissimum etenim præsulens, agis, veritatem fouendo, & Papismum profligando. Deus te quam diutissimè ad Ecclesiæ bonum conseruet.*

Honori tuo addictissimus,

FRANCISCVS DILLINGHAMVS.

De ſacra Scriptura.

Q.

GRauis eſt illa quæſtio, de diiudicatione Scripturarum: videlicet, vnde cognoſcere quiſpiam poteſt, ſacras literas eſſe diuinitùs inſpiratas? Cupio Patres, huic quæſtioni ſatisfacere: nam Papiſtæ crepant, Scripturas, quoad nos, omnem ſuam authoritatem precariò habere ab Eccleſia, ſcilicet.

R.

Quæſito tuo ex Patribus reſpondebo: Nam venerandam Patrum canitiem, ſat ſcio, non arguent Papiſtæ; ſic igitur quærit *Innilius*, vnde libri religionis catholicę aſſeruntur? ex multis, reſpondet, quorum primum eſt ipſius Scripturę veritas,

deinde ordo rerum, consonantia præceptorum, modus loquutionis sine ambitu, puritásque verborum, additur conscribentium & prædicantium qualitas, quod diuina homines, excelsa viles, infacundi subtilia, non nisi diuino repleti spiritu tradidissent, tum prædicationis virtus, quæ dum prædicaretur, (licèt à paucis despectis) obtinuit; accedunt his testificatio contrariorum, vt Sybillarum, vel Philosophorum, expulsio aduersariorum, vtilitas consequentium, exitus eorum, quæ per acceptationes, & figuras, & prædicationes prædicta sunt, ad postremum, miracula iugiter facta, donec Scriptura ipsa susciperetur à gentibus.

Q.

Valdè mihi placet Innilii *responsio, atque vtinam in eadem acquiescerent contentiosi pseudocatholici; attamen teneor desiderio audiendi Patrem alium*

qui

qui Innilio ὁμόδοξος *sit, vt ore duorum testium veritas hæc stabiliatur: cedo igitur alium Patrem.*

R.

Audies alium, nempè *Iustinum*, qui *Innilii* sententiæ calculum addit & suum, pag. 173, porrò, & quæ euenerunt, & quæ eueniunt, necessitatem secum afferunt, assentiri iis quæ ab aliis, nempe prophetis, sunt dicta?

Q.

Nolo plura testimonia proferas, hæc illustria & perspicua sunt. Narra mihi (quæso) qui libri pro canonicis habendi sunt, idq; ex Patribus?

R.

Non grauabor & hoc facere, neque proferam eam copiam, quàm proferre potui, authoritas certè in hac causa locuples est. *Amphilochius*, *Cyrillus*, *Hieronimus*, *Leontius*, valdè perspicui sunt: taceo priorum testimonia, *Leontium* testem aduocabo.

Veterem Scripturam, inquit, vocamus eam, quæ ante Christi aduentum libris prodita fuit: Nouam, quę post ipsius aduentum. Veteris libri sunt viginti duo: partim historici, partim Prophetici, partim præcepta continentes, partim ad cõcinnendum facti: Historici duodecim sunt, *Geneſis*, *Exodus*, *Numeri*, *Leuiticus*, *Deuteronomium*, *Ioſua*, *Iudicum* liber, *Ruthæ*, libri *Samuelis*, *Regum*, *Paralipomenon*: *Eſdræ* Prophetici quinque sunt, *Eſaias*, *Ieremias*, *Ezechiel*, *Daniel*. Minores propheti duodecim qui præcepta continent, quatuor libri sunt, *Iob*, *Prouerbia*, *Eccleſiaſtes*, *Canticum*, hi verò tres libri sunt *Salomonis*: sequitur Psalterium: habes Scripturæ veteris libros viginti duos. Noui testamenti libros non recensebo, hoc tantùm dicam, librum *Eſter* sub libris *Eſdræ* comprehendi.

Q.

Annè ſacrarum literarum fontes corrupti ſunt?

R.

Oleaſter inſignis Papiſta, hac de re ſic ſcribit: Neque mihi obiicias exemplaria Hebraica omnia à Iudęis eſſe vitiata: ſi enim in ſolis illis locis, quibus, nobis cum eis negotium eſt, qualia ſunt illa quæ Chriſti myſteria tractant, Hebraica veritas, à vulgata diſſentiret editione facilè crederem, eos ibidem Hebraica corrupſiſſe, &c. ad hæc (inquit ille) non puto Iudæos huius temporis, plus nunc Eccleſiæ aduerſari, quàm diui *Hieronymi* temporibus, &c. papiſtæ huius teſtimoniò adiungam *Auguſtini, lib.* 15. *de Ciuit. Dei, cap.* 13. & *Hieronymi. in* 6. *cap. Eſa.* teſtimonia, quæ per otia lege, Lector.

Q.

Sempêrne eſt admittenda Patrum expoſitio?

R.

R.

Idem *Oleaſter* quæſtioni huic reſpondeat: Cui rei, inquit, tibi argumento ſit, quantum lucis ad ſacras literas germanè intelligendas attulit linguarum peritia, quarum ignorantia in cauſa fuerat, quod nonnulli ex antiquis Patribus, alioqui doctiſſimis, & ingenioſiſſimis, genuinum ſenſum ſacrę Scripturę non ſunt aſſequuti. Ipſe *Hieronymus*, in libro aduerſus *Heluidium*, obiectis teſtimoniis *Tertulliani* & *Victorini*, reſpondet. Nugas terimus, & fonte veritatis omiſſo, riuulos conſectamur opinionum. Vide *Sixtum Senenſem, in præfat. lib. 5. Biblio.*

Q.

His ita expeditis, illud mihi reſpondeas, velim. Nonne licet laicis ſacras Scripturas vertere & voluere?

R,

Licet, atque hoc Patres abundè teſtantur. *Cæſarius Arelatenſis* Epiſcopus

piſcopus adimit populo excuſationem, inquiens, Nemo ſe excuſare conetur, vt dicat, Non mihi vacat legere, & ideò non poſſum Dei præcepta, vel agnoſcere vel implere: nec dicat aliquis veſtrum: Non noui literas, ideò mihi non imputabitur, quicquid minùs de Dei præceptis impleuero. Inanis & inutilis eſt excuſatio iſta, fratres, &c. oro. quid his clarius? *Chryſoſtomus Cæſario* aſſentitur plurimis in locis, vſque adeò, vt Rhemenſes aſſerant, eum loquutũ eſſe, ac ſi concionem habuiſſet è ſuggeſto. Plura qui cupit, legat *Theodoretum, de curandis Græcorum affectibus, lib. 5. Auguſt. Serm. 55. de Tempore.* Deniq; *Walfridus, Strabo, cap. 7. de rebus Eccleſiaſticis*, ſic ſcribit: Vt hiſtoriæ referunt poſt modũ ſtudioſi illius gentis diuinos libros in ſuæ loquutionis proprietatẽ tranſtulerũt, quorũ adhuc monumẽta apud nonnullos habentur. Q.

Q.

Nonne Scripturæ mancæ & mutilæ ſunt, vt Doctrina ſalutis etiam ex Traditionibus hauriẽda atq; petenda ſit?

R.

Nequaquam: procul à piis omnibus abſit hæc blaſphemia Scripturæ: etenim perfectæ ſunt, atque continent doctrinam ampliter (vt verbo plantino vtar) ſufficiẽtem viatori: *Cyrillus Hieroſolymitanus catec.* 4. Myſteria fidei, inquit, ſine ſacra Scriptura non ſunt tradẽda, &c. *Theodoretus dialogo primo.* Noli mihi inducere humanas ratiocinationes, ego etenim in ſola Scriptura diuina acquieſco: perfectus eſt Scripturæ canon, ſatis ſupérque ſufficit, vt ſcribit *Vincentius Lirinenſis*: Sed quid Patrum teſtimonia conquiro? ipſi Scholaſtici digni ſunt, qui in hac re audiantur. Sacra Scriptura, inquit *Scotus prol. in Sent.* ſufficienter continet doctrinam neceſſariam viatori.

viatori. *Bonauentura prol. in Breuilo. Scoto* astipulatur: Scribens ad hunc modum: Scriptura dat viatori sufficientem notitiam rerum, secundū quòd expedit ei ad salutem. Lege *Athanasium contra gentes: Chrysosto. opere imperfecto, homil.* 44: *August. in Iohann. in tractatu* 44: *Ambrosium Hexa. lib.* 1. *cap.* 6. Optimè idem *Ambrosius lib.* 1. *officiorum cap.* 23. loquitur: Quæ in Scripturis sanctis non reperimus, ea quomodo vsurpare possumus? argumentum negatur:

Quæ non sunt in Scripura, non sunt vsurpanda:
Hæc non sunt in Scriptura:
Ergo, non sunt vsurpanda.

Q.

Testimonia hæc egregiè quidem mihi satisfaciunt: sed restat vnus scrupulus, qui me malè habet: In tanta religionū veritate, quis debet summus esse controuersiarum iudex? Hoc, si mihi ex Patribus expedire possis, egregiam nanabis operam.

R.

R.

Res non est adeô ardua, controuersiam hanc ex patribus componere. *Optatus* scriptor non contemnendus, ad hunc modum loquitur, *lib.*5. Quærendi sunt, inquit, ille aliqui huius controuersiæ iudices, si Christiani de vtráq; parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur, de foris quærendus est iudex; si paganus non potest nosse christiana secreta, si Iudęus, inimicus est Christiani baptismatis, ergo in hac re, nullum reperiri poterit iudicium, de cœlo quærendus est iudex, sed vt quid pulsamus ad cœlũ, cum habemus hic in Euangelio testamentũ, quia in hoc loco rectè possunt, terrena cœlestibus comparari?

Q.

Est sanè hoc Optati *testimonium luculentum, proinde optandum esset, vt animis & pectoribus hominum infixum hæreret, vt non tantùm notum, sed etiam*

etiam paratum sit. Verum multa in sacris Literis obscura sunt, quid de his fiet?

R.

Audi *Bonauenturam* cap. *De modo exponendi sacram Scripturam*; Cum ipsa Scriptura sub vna litera tegat multiplicem intelligentiam, expositor debet absconditam producere in lucem; & illam eductam, manifestare per aliam Scripturam magis patentem; Cui hoc *Bouauenturæ* testimonium non sufficit, audiat *Clementem dist. 37. cap. Rel.* Non enim, inquit, sensum alienum, & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo ipsum Scripturarum authoritate confirmare, sed ex ipsis Scripturis sensum capere veritatis.

Q.

Non putaui fieri posse, vt eiusmodi testimonia, pro expositione Scripturarũ, ex tũ obscuris authoribus proferri potuissent, profer (quæso) Patrum testimonia?

R.

R.

Faciam lubens: *Hilarius, lib.4. de Trinitate* sic loquitur: Dictorum intelligentia ex causis est assumenda dicendi: non enim sermoni res, sed rei sermo est subiectus. Idem *Hilarius lib.9.* vult dictorum intellgentiam, aut ex præpositis, aut sequentibus ezpectari. *Basilius* non minùs doctè scribit. 26. 7. *Regn.* quæ ambiguè & obscurè dicta videntur in nonnullis scripturæ locis, per ea quæ alibi certa, & indubitata habentur, declarãtur Plura qui cupit, legat *Augustinum lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 8,* & *Chrysostomum in 2. Epist. ad Corin. Homil. 9.*

Q.

Vna insuper proposita quæstione de sacra Scriptura, vlterius in hoc argumento non progrediar: Authoritas latinæ vulgatæ editionis fuit ne semper recepta in Ecclesia?

R.

R

Minime: *Bellarminus* Lib 2 de *verbo Dei*: Cap. 10: fatetur ecclesiam latinam, hac editione vsam esse á tempore beati *Gregorii*: quod si primis pene sexcentis annis non fuit ista versio anthentica, quo iure subsequentia tempora illam anthenticam facerent?

De Papa.

Q

Absolutis quæstionibus ad sacram scripturã pertinentibus, ad ipsum papã, papistarum tutelarem Deum accedamus, atq; primum doce, quæso, quid patres intelligunt Petram Mat 16: *nam iste locus est Papistarum asylum.*

R

Patres per petram fidem *Petri* intelligunt, non particularem et individuam, sed communem totius ecclesiæ, vti *Ionas* lib. 2. *de imaginibus* post. ndit. Multi, inquit, et penè omnes, petram, super quam ædificatur

ecclesia, fidem intelligunt beati *Petri*, quæ communis est totius sãctæ ecclesiæ: videlicet, eam quæ paulo antè promissionem hanc præcesserat, id est, Tu es Christus filius Dei viui: vnde liqui dò constat ipsum Christum esse illam petram, super quam ædificatur ecclesia.

2.

At sigillatim enumera patres, qui idem docent, nam ista. Ionæ sententia particularium inductione comprobanda est. R.

Sigillatim recensebo patres qui per *Petram* intelligunt confessionẽ *Petri* vel ipsum Christũ, vtrumque eodem recidit: *Victor Antiochenus* in 3 cap. *Marci*. sic scribit: quia Christus dõinus super *Petrã*, hoc est, supra infractã sanamque *Petri* doctrinã inconcussamque eiusdem fidem ecclesiam suam ædificaturus erat; ob id, prophetico spiritu *Petrum* illum appellat.

Aponius

Aponius, in Cantica canticorum. Væ pastoribus, qui pascũt semetipsos: et de fũdata domo fidei super petram egressi fecerũt sibi tabernacula, quæ non erubescant singuli suo nomine ecclesias appellare, Cum Dominus dixerit, Vnus grex, et vnus pastor, et dixerit, Super hanc petram ædificabo ecclesiam.

Algerus lib. 3. Super huius fidei firmitatem Christus ecclesiam suam fũdari instituẽs, ecclesiæ suæ pastori *Petro* dicenti, *Tu es Christus filius dei* viuentis, qui in hoc, de trinitate perfecte senserat, respondit, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram*, id est, super huius fidei firmitatem ædificabo ecclesiam. *Gregorius Nissenus* 255 pag. Tu es *Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam*, super confessionem videlicet Christi, quia dixerat, Tu es Christus filius Dei viuentis.

Hilarius lib. 6, *de Trinitate*, ſuper hãc confeſſionis petram ædificatio eccleſiæ eſt.

Ambroſius ca.5.de *Incar.Domi.*ſacramento; fides ergo eccleſiæ fundamentum, non enim de carne *Petri*, ſed de fide dictum eſt, quod portæ mortis ei non prævalebunt: conſule lector *Auguſt*, *ſer* 13 de *ver.Domini Epiphanium hær.*59.*Chry.* hom.55 in *Mat. Cyrillum dial.* 4.*de Trinit: Theop.* in 16.*Mat.Anſel* in 16 *Mat. Tertul: contra Mar.* lib,4.*cap.* 13.*Orig.trac.primo in Mat. Hiero.in Mat.* lib.1.*cap.*7 his addere potes papiſtas plurimos, ſed breuitati ſtudens ipſorum teſtimoniis ſuperſedebo.

2.

Profer patres qui aſſerunt *Petrum* pro omnibus reſpõdiſſe: hoc ſi feceris, probabilior erit iſta expoſitio.

R.

Gandentius to. 2. *pag.* 175. inſtar omniũ erit. *Ambroſius*, iniquit, tanquam

quam *Petri* apoſtoli ſucceſſor, ipſe erit os vniuerſorum circumſtantium ſacerdotum: nam cum dominus Ieſus interrogaret Apoſtolos, vos autem quem me eſſe dicitis, ſolus *Petrus* omnium credentium ore reſpõdit, tu es Chriſtus filius dei vini; quid ſtatim muneris accepit iſta cõfeſſio, beatitudinẽ ſcilicet, regniq; cæleſtis, glorioſiſſimam poteſtatem ſolus ergo cum loquitur *Petrus*, nequaquam reliquorum credentium fides excluditur, ſed congruus ordo ſeruatur, dum principi Apoſtolorum primus loquendi locus defertur, ne tumultus quid emagis, quam reſponſio videretur, ſi tunc vniuerſi certatim ac pariter reſpondiſſent.

2.

Vereor ne hæc ſit ſingularis et priuata Gaudentii opinio.

R.

Audi itaque *Anſelmum in* 16. cap.

mus. Quamuis, inquit, eadem esse voluntas omnium, tamen Petrus pro omnibus respondit.

Q.

Intelligo iam Christum ipsum petram ecclesiæ, et Petrum *pro omnibus respondisse, sed demonstra (quaso) ex historiis, quinam papæ autoritatem circumscripserunt?*

R.

Nicænum Concilium, Cano. sexto Constant in can. 3. conci. Ephesi. cap. 14 Non enim (inquit) honoris æqualitas, naturas vnit, alioquin *Petrus* et *Iohannes*, qui paris dignitatis extiterunt (ambo namque fuerunt Apostoli, ambo sancti, ambo discipuli) vnus essent, non duo: denique Chalcedonense concilium can. none vltimo circumscribunt papæ authoritatem.

Q.

Atqui nonne Petrus factus fuit episcopus ab ipso Christo?

R.

Arrige aures papista, et aduerte quid scriptis mandauit *Gregorius Turonensis*: *Iacobus* Apostolus, qui et frater Domini vocitatus est, ab ipso Domino nostro Iesu Christo episcopus dicitur ordinatus: rursus: *Petrus* Apostolus ab Apostolis cæteris ordinatus fuit episcopus.

Q.

Progredere in hoc argumento.

R.

Orientales episcopi referente *Socrate*, lib. 2. cap 11. vbi acceperant *Iulii* literas, responsionem contumeliæ loco ducunt, Concilium *Antiochiæ* convocant, ibi simulatque conuenerant, de communi omnium sententia, epistolam conscribunt, per quam, contra *Iulium* acrius insimulant, ostenduntque, si qui eorum arbitrio, ecclesia fortè exacti essent, rem ab eo non debere decerni, nam quando ille *Nouatum*

eccleſia exturbarat, ipſos minime contradixiſſe iſta, Epiſcopi Oriẽtis, *Iulio* epiſcopo Romano per literas ſignificarunt.

2.

At Papa errare non poteſt, dicant ergo, quid velint: ego papæ qui errare non poteſt, adhærebo, nullum ad huc papam, qui errauit producere potes

R.

Papæ! quis non miretur papiſtarum impudentiam? *Barlam* monachus, qui vixit anno 1304. et ſcripſit librum contra primatum papę, ſic loquitur, Siquis impudicæ illius mulierculæ quæ papa fuit, cauſam agere velit, dicat quandoquidem nulla ante fuit, ne ipſam quidem fuiſſe, ita ego dicere potui, qui ad hunc modum diſputet, nullus papa adhuc errauit, ergo papa errare nõ poteſt, vitioſam conſequentiam introduceret: ſed conſtat Liberium *Arrianum* fuiſſe. *Pamianus* epiſtolais dicit,

dicit, quod *Liberius* perfidiæ deceptus errore *Arrianæ* hęresi subscripsisse dignoscitur, ac per eius transgressionem nefandissima scelera sunt commissa: *Wernerus* pag 48. *Compilatio* chronol. pag 7. ib. *Marianus Scotus* pa. 405. *Regino*. pa. 7. *Hermannus* contractus, pag 122. *Athanasius* epistola ad solitariam vitam agẽtes, *Hieronymus* idem testantur, sic etiam *Crantzius*.

De Magistratu.

2.

A Papa transeamus ad magistratum, cuius est Papam in ordinem cogere: dic quæso, penes magistratum est concilia congregare nec ne?

R.

Est. *Socrates* in proœmio li. 5. passim in historia inquit, Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore quo Christiani esse cæperunt, ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque

ecclesia exturbarat, ipsos minime

NOTE

This volume
tight binding a
effort has beer
duce the centre
result in

acat
microfor

dicit, quod *Liberius* perfidiæ decen-

ne has a very

and while every

en made to repro-

res, force would

in damage

demic

orms

ecclesia exturbarat, ipsos minime contradixisse ista, Episcopi Orietis, *Iulio* episcopo Romano per literas significarunt.

2.

At Papa errare non potest, dicant ergo, quid velint: ego papæ qui errare non potest, adhærebo, nullum ad huc papam, qui errauit producere potes

R.

Papæ! quis non miretur papistarum impudentiam? *Barlam* monachus, qui vixit anno 1304. et scripsit librum contra primatum papę, sic loquitur, Siquis impudicæ illius mulierculæ quæ papa fuit, causam agere velit, dicat quandoquidem nulla ante fuit, ne ipsam quidem fuisse, ita ego dicere potui, qui ad hunc modum disputet, nullus papa adhuc errauit, ergo papa errare nõ potest, vitiosam consequentiam introduceret: sed constat Liberium *Arrianum* fuisse. *Pamianus* epistolais

dicit,

dicit, quod *Liberius* perfidiæ deceptus errore *Arrianæ* hęresi subscripsisse dignoscitur, ac per eius transgressionem nefandissima scelera sunt commissa: *Wernerus* pag 48. *Compilatio* chronol. pag 7. ib. *Mariánus Scotus* pa. 405. *Regino* pa. 7. *Hermannus* contractus, pag 122. *Athanasius* epistola ad solitariam vitam agẽtes, *Hieronymus* idem testantur, sic etiam *Crantzius*.

De Magistratu.

2.

A Papa transeamus ad magistratum, cuius est Papam in ordinem cogere: dic quæso, penes magistratum est concilia congregare nec ne?

R.

Est. *Socrates* in proœmio li. 5. passim in historia inquit, Imperatorum mentionem propterea fecimus, quod ex illo tempore quo Christiani esse cæperunt, ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt,

atque

atque adeo maxima concilia, de eorum ſententia, et conuocata fuerunt, et adhuc conuocantur: *Euſebius* lib. 1. de vita *Conſtantini*, ca. 37. *Conſtantinus* miniſtrorum dei cogit concilium. *Hieronymus* lib. 2. apol. aduerſus *Ruffinum*, Doce quis Imperator hanc Synodum iuſſit convocari.

2.

Nonne magiſtratus iuxta Deum honorandus et colendus eſt?

R.

Tertullianus in lib. ad *Scapulam*, praxin Eccleſiæ refert, ex qua ſolutio huius quæſtionis peti poteſt: Colimus (inquit) Imperatorem, vt hominem á Deo ſecundum, et ſolo Deo minorem. *Optatus* lib. 3. contra Parme. *vulpe* perſpicuus eſt Super Imperatorem, nõ eſt, niſi ſolus deus qui fecit Imperatorem.

2.

Cedo igitur an non immunes erant chriſ-

christiani à rebellione contra magistratus?

R.

Prædictus pater *Tertullianus* hoc disertè testatur: circa maiestatem (inquit) Imperatoris infamamur, tamen numquam *Albiniani* nec *Nigriani*, vel *Cassiani* inveniri potuerunt: christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris.

2.

At defuerunt christianis vires, doce, si potes, contrarium.

R.

Hoc ab ipso *Tertulliano* docetur 37 cap. apol. Si enim, iniquit, hostes exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum et copiarũ: scil. externi sumus, et vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus decurias, palatium, senatũ, forum: sola vobis relinquimus tem-

templa: cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non ad iſtam diſciplinam magis occidi liceret, quám occidere?

Q.

Doce (quæſo) quis Imperator vnquam depoſuit Papam?

R.

Circà idem tempus authore *Langio*; *Otto* à Romanę eccleſię partibus vrbiſq; principibus evocatus Romam, proficiſcitur, vt corruptos Pontificis emendaret mores *Iohannis* duodecimi, hominis ſceleratiſſimi: cernens autem memoratum *Iohannem* Papam blandè correctum, ſcandaloſam continuare vitam, ipſum hortatu, tam cleri quam populi depoſuit. Prętereá idem *Langius* refert, *Henricum* tertium anno regni ſui ſexto, habito ſynodo, ob peſſimum ſchiſma, quod

tun

tunc ecclesiam scindebat. *Benedictum, Sylvestrum, Gregorium*, tanquã tria teterrima monstra se abdicare Papatu coegisse; *Syndegerum* autem loco eorum Romanũ pontificem creasse.

Q.

Quis primus Papa fuit qui deposuit principes?

R.

Hildebrandus primus fuit, qui hoc negotium suscepit. *Otto Frisingensis lib. 6. cap.* 35. lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nunquam invenio quenquam eorum ante hunc *Henricum* quartum a Romano pontifice excommunicatũ vel regno priuatũ. Legatur *Sigebertus* in anno 1088.

Q.

Quo anno facta est Anglia tributaria Papæ?

R.

Mutius in fine 7. *lib.* ad hunc modum

dum rem narrat. Anno 850. *E*
nulphus originem ex Saxonia du
cens, Rex Anglię, quam maio
parte Saxones tenebant, colleg
decimas omnium fructuum terrę
pecoris, tulitq; eas Romam, obtu
litq; Pontifici Romano *Leoni* qua
to, vovitq; in toto regno ſuo e
ſingulis domibus, duos argente
quotannis Romam ſe miſſurun
quod hactenus ad noſtram vſq; a
tatem factitatum eſt in Anglia.

Q.

Eſtne Magiſtratus de religio
agere?

R.

Quid ni? Cum ſcribat *Auguſtin*
lib. 1. contra *Parmenianum cap.*
An fortè de religione fas non e
vt dicat Imperator? cur ergo ad In
peratorem veſtri venere legati? cu
eum fecerunt cauſæ ſuæ iudice
non ſequturi quod ille iudicare

D

Q.

Narra mihi quæso, quinam pertinet ad ecclesiam Catholicam.

R.

Augustinus lib. de Catechizandis rudibus, cap. 2. hoc apertè narrat: Cœlestis Hierusalem Ciues sunt omnes sanctificati hominesqui fuerunt, & qui sunt, & qui futuri sunt: *Drogon lib* 2. *biblioth. pat.* electi vnũ corpus, reprobi vnum corpus. *Pamianus tertio Tomo:* Vna & simplex ecclesia est, vnius fidei & diuinę regenerationis mysterio cõfœderata: *Walfridus Strabo cap.* 6. ab his non est alienus: Ecclesia quidem græcum nomen est, & interpretatur *Conuocatio*, vel *Conuentus*, cum sit vel generalis Sanctorum vnitas, in vna fide & dilectione coniuncta, vnde & vna & Catholica dicitur Ecclesia, vel singulorum societas sancta locorum: vnde & multæ dicuntur

dicuntur eccleſię. vide *Gregor. in Euang. Ho. 19.*

Q.

Omnibus notis & ſignis manifeſtantur particulares eccleſiæ, quas Waltridus *multas, & ſingulorum locorum ſanctas ſocietates appellat?*

R.

Ex ſacris literis cognoſcenda eccleſia eſt: *Auguſti. 166. epiſt.* In ſcripturis didicimus Chriſtum, in ſcripturis didicimus eccleſiam: has ſcripturas communiter habemus, quare in eis & Chriſtum & eccleſiam communiter retinemus. *Hieronymus in Pſal. 123.* Eccleſia non in parietibus conſiſtit ſed in dogmatum veritate, eccleſia ibi eſt vbi vera fides eſt. *Chryſoſto. hom. 49. in Mat.* opere imperfecto. Qui ergo vult cognoſcere quæ ſit vera eccleſia, vnde cognoſcat niſi tãtummodo per ſcripturas? &c.

Q.

Poſſunt-

Possuntne Ecclesiæ particulares errare?

R.

Quidni? ecclesia etenim antiqua errauit in prębendo Eucharistiam infantibus: *Augusti. lib.* 1. de peccato, meritis, & remissione *cap.* 20. contra duas epistо. *Petiliani lib.* 2. *cap.* 4. *lib.* 4. *cap.* 4. contra *Iulianum cap.* 2. *lib.* 1.

Q.

Potestne abscondi ecclesia atquè latere?

R.

Athanasius epistola ad solitariam vitam agentes hanc quęstionem soluet: Quæ nunc ecclesia, inquit, Christum libere adorat, siquidem ea si pia est, periculo subiacet &c.

Q.

Adiunge quæso & alium patrem.

R.

Adiungam et & *Hilarium* contra *Auxentium*: Vnum moneo, inquit,

cauete Antichriſtum, male enim
vos parietum amor cepit, male
eccleſiam Dei in tectis ędificiiſq;
veneramini, male ſub his pacis no-
men ingeritis. Anne ambiguum
eſt in his Antichriſtum ſeſſurum?
Montes mihi & lacus & ſiluę & vo-
ragines & carceres ſunt tutiores, in
his enim prophetæ aut manentes
aut demerſi Dei ſpiritu prophe-
tabant.

Q.

Cedo quæſo teſtimoniũ ex ipſo Bel-
larmino.

R.

Accipe igitur, *lib.* 3. *de Rom. Pon*
cap. 13. Non, inquit, patres dicere
volunt Antichriſtum ſeſſurum in
eccleſia vt epiſcopum, vt hęretici
ſomniant, ſed ſeſſurum vt deum:
iubebit enim Antichriſtus omnia
templa totius mundi conuerti in
cultum ſuum, & in iis ſeipſum ado-
rari faciet Si eccleſia nunquam la-

tebi

tebit, si nulla eiusdem ruina erit, cur Antichristus omnia templa totius mundi conuertet in cultum suum? an hæc stare possunt cum perpetua visibilitate ecclesiæ? hoc nemo sanæ mentis dixerit. Consulatur *Adrichomius pag. 69.* quod autem ad Antichristi tempora attinet, negare non ausim, sub mundi finem ob crudelissimam Antichristi in Sanctos persequutionem iuge hoc christianorum sacrificium tribus annis & dimidio publice cessaturũ esse &c, *De Conciliis.*

Q.

Audiui quosdam in ea sententia fuisse vt nullum dogma hæresin esse existimarent, nisi illud quod in concilio dãnatur; secus docentne patres necne?

R.

Longe secus docet *Augustinus lib. 4.* contra duas epist. *Pelagii, cap. 12,* Aut verò inquit cõgregatione synodi opus erat, vt aperta pernici-

es damnaretur? quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rariſſimæ inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multoq; ſint atque incomparabiliter plures, quæ vbi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.

2.

Poſſunt ne concilia errare?

R.

Poſſunt: Auguſti. lib. 2. de baptiſ. contra donatiſt. cap. 3. quis neſciat concilia quæ per ſingulas regiones fiunt, plenariorum conciliorum authoritate, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, cedere? ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento verum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine

ſine vllo typho ſacrilegę ſuperbiæ, ſine vlla inflata ceruice arrogantię, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta charitate, humilitate, cum pace catholica. Concilium 2. Nicænum errauit, nam actione 5. definiuit angelos corpora habere, & animas item humanas corporeas eſſe. Nemo (vt ibi habetur) inquit concilium, vel angelos vel dæmones, vel animas dixerit incorporeas.

Q.

Crepant papiſtæ omnia concilia à partibus ſuis ſtare; da quæſo concilia quæ papiſmo aduerſantur?

R.

Res facilis eſt negotii hoc facere. Gangrenſe concilium repugnat papiſmo, cano. 4. quicunque (inquit) diſcernit à presbytero, qui vxorem duxerit, quod non oporteat eo miniſtrante de oblatione percipere, anathema ſit. Rurſus cano. 16. qui-

cunque filii à parentibus prætextu diuini cultus abscedunt, nec debitam reuerentiam dependunt illis, qui diuinum cultū sibi procul dubio præferunt, a nathema sit.

Elibertinum concilium papismo aduersatur, 36. *cano.* Placuit, inquit concilium, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur aut adoratur, in parietibus depingatur.

Concilium Anciranum repugnat papismo, *cano.* 10. Diaconi, inquit, quicunque cum ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes, velle se habere vxores nec posse se continere, hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus dederit licentiam.

Concilium *Laodicenum cano.* 59. aduersatur papismo, dum statuit libros extra canonē non legi oportere: enumerat autem canonicos libros more orthodoxorum.

Con-

Concilium tertium Carthag. 26. cap. aduerſatur papiſmo, dum decernit vt primæ ſedis Epiſcopus, non appelletur princeps ſacerdotum aut ſummus ſacerdos, aut aliquid huiuſmodi, ſed tantùm primę ſedis Epiſcopus.

Concilium ſextum Conſtanti. generale repugnat papiſmo, 13. 36. 55. 59. canonibus.

Concilium *Cæſaraugustanum* aduerſatur papiſmo *can.* 3. Euchariſtiæ gratiam, inquit, ſi quis probatur acceptam non conſumpſiſſe in Eccleſia, anathema ſit in perpetuum.

Concilium Aquiſgranenſe *cap.* 9. dicit, quòd cæteri Apoſtoli cum *Petro* par conſortium honoris & poteſtatis acceperunt.

Concilium *Wormatiense* in prę. credidit eccleſiam catholicam pretio ſanguinis Chriſti redemptam cum eo in perpetuum regnaturam.

Concilium Cabilonenſe ſufficientiam ſcripturarum confirmat, c. vltimo, Quid generaliter, inquit, in omnibus & ab omnibus ſequendum ſit, quidve vitandum, qualiterve intra ſanctam Eccleſiam ſit viuendum, qui plenius noſſe deſiderat, ſanctarum ſcripturarum prata percurrere non deſiſtat.

Concilium Antiſiodorenſe, *can.* 10. decreuit, non licere ſuper vno altari in vna die duas Miſſas dicere; ſub papatu multæ miſſæ celebrari poſſunt.

Concilium Arauſicanum, 22. ſic decernit. Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum, ſi quis autem homo habet veritatem atq; iuſtitiam, &c.

Concilium Toletanum. 3. 22. decreuit ad hunc modũ: Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt cũ Pſalmis tantummodo, & pſallentium vocibus, debent ad ſepulchrum deferri,

deferri; valeant itaque preces pro defunctis. Multa concilia damnant non residentiam, id est, ordinariam ministri absentiam à grege, id est à particulari Ecclesia sibi credita. Concil. Antio. *cap.* 17. concil Sardi. *cap.* 24. Conci. constant. 8. *cap.* 24. concilum Agathense, canone. 39.

Concilium Veneticum cano. 2. decreuit eos qui relictis Vxoribus suis excepta causa Fornicationis, sine Adulterii probatione alias duxerint, à communione arceri debere, ergo licet contrahere nuptias post diuortium ob Adulterium.

Gerundense concilium Canone 6. statuit ad hunc modum, de conuersatione vitæ id statuere placuit, A pontifice vsque ad suddiaconatum, post suscepti honoris officiũ, si quis ex coniugatis fuerit ordinatus, vt semper alterius fratris vtatur auxilio, cuius testimonio vita

eius

eius debeat clarior apparere, ergo coniugati fungi ministerio potuerunt.

Synodus Constan. & etiã Francofurtensis Imagines damnarunt. Constãtinus Imperator, inquit Sigebertus, Constantinopoli Synodũ trecentorum triginta Episcoporũ congregat, in qua edicto promulgato de imaginibus dei & sanctorum eius deponendis, ecclesiam de nimis scandalizat, & contra orthodoxos tyrannizat.

Anno Dom. 1408. Concilium ingens celebratur Pisis, in quo accusati de collusione pontifices præ dicti ambo priuantur, & electus est vnanimiter Petrus Candia natione græcus &c. Langius *pag.* 849. ergo concilii est supra papam. Synodus etiam constantiensis tres Papas deposuit.

Carthaginense concilium sextum prouocationem ad papam sustuli

tulit, *cap.* 28. 29. 123. 126.

Vltimò, ne nimis prolixus sim, generalia concilia antea recitata in loco communi de papa, aduersantur primatui papę.

Q.

Quinam in conciliis præsidebant?

R.

Hoc *Isidorus* declarat, Statuerunt, inquit, in Nicæna synodo 20. canones, quarum author maximè sanctus Alexander Episcopus fuit: Canonum constan. Maxime author Nectarius fuit: Cyrillus canonum Ephesi: Chalcedonensium Anatolius: An res aliter se habeat, viderit ipse Isidorus.

Q.

Estne Christi humana natura pluribus in locis simul?

R.

Patres tibi respondebunt. *Fulgentius* ad *Thrasimundum lib.* 2. Christus (inquit) vnus idemque homo

homo localis derelinquens terra
cum aſcendiſſet in cœlum, rurſ
vt localem oſtenderet humanita
ſuam, dixit diſcipulis ſuis, Aſcen
ad patrem meũ & veſtrum, deniq
quomodo aſcendit in cœlum n
quia localis & verus eſt homo?

Cirillus Hieroſolimitanus cate.
Non enim quia nunc non ad
carne, ex eo putes, quod ſpiritu
non adſit audiens quæ de illo
cuntur, & videns quæ tu cogitas
ſcrutans renes & corda.

Auguſti. Epiſtola 57. ſpatia lo
rum tolle corporibus, & nuſqu
erunt, quod ſi nuſquam erunt, n
erunt.

Vigilius lib, 1. Eſt igitur nobi
& non nobiſcum, quia quos relic
& à quibus diſceſſit humanit
ſua, non dereliquit nec deſeruit
uinitate ſua. Iterum *lib.* 4. quan
in terra fuit non erat vtique in c
lo, & nunc quia in cœlo eſt, n

ſt vtique in terra: & mox; apparet
num eundumque Chriſtum, vtri-
ſque eſſe naturę, & eſſe quidem
bique ſecundum naturam di-
initatis, & loco contineri ſecun-
dum naturam humanitatis quę cir-
cumſcribitur loco, ſecundum na-
turam carnis ſuę, & non capitur lo-
co per naturam diuinitatis ſuæ, hęc
eſt fides & confeſſio Catholica, quã
Apoſtoli tradiderunt, Martyres ro-
borauerunt, & fideles nunc vſque
cuſtodiunt. Obſerua Lector, patres
non opponere carnem viſibilem
carni inuiſibili, ſed carnem deitati.

Q

*At exiſtimo te nullum patrem pro-
ferre poſſe, qui dixit Chriſtum creuiſſe
ſapientia, ſe potes, producatur in me-
dium?*

R.

Leontius ſententiam ſuam hoc
modo enarrat: Sciendum, inquit,
complures ex patribus, ac prope-
modum,

modum vniuersos videri dic
quòd ignoret: nam cum per om
nobiscum vnius esse substantiæ
catur, nimirum & ignorabat &
se; quin & ipsa scriptura dicit, 'e
profeciſſe, tam statura, quàm s
entia, discentem scilicet id quod
norabat: eant nunc papistæ &
tres dedecoris in Christum i
mulent. Vide *Ciril.* lib. de recta
pag. 345. *Athanas.* orati. 2. con
Arianos, pag. 103. *Nazi.* lib. 2.
Filio.

Q

*Nonne te pudet hæreseos agno
rum?*

R.

Nimis iracunde, tantæne Th
logis iræ?. Isidorus lib. 8. cap
hanc calumniam abstergit, Gno
ab ignorantia dicti sunt, quia
adiiciunt quod Christi diuin
ignoret futura.

Q.

Secundum quam naturam eſt Chriſtus mediator?

R.

Secundum vtramque. *Auguſti.* de ouibus cap.12. diuina humanitas et humana Diuinitas mediatrix eſt: vide eundem *Aug.* de conſenſu. *Euang.* lib.1.cap. 35.

De Peccato.

Q.

Definitionem peccati ex patribus dari cupio.

R.

Theodorus Abucara ſecundum ſcripturam, peccatum eleganter definiuit, quid eſt peccatum? inquit, nõne aberratio et deflexio á ſcopo? ſic *Ambro.* lib.1. de para. cap.8. *Auguſ.* de conſenſu *Euang.* lib.2.cap 4.

Q.

Eſtne alquod peccatum ſua natura veniale?

R.

R.

Audi eundem *Theodorum*. Tame
ſi, inquit, *Abrahã*, *Iſaak*, *Iacob*, *M*
ſes, et *Enoch*, ante Chriſtum obed
verunt Deo; id tamen, habita cæt
rorum hominum ratione intelli
oportet; peccati porro nullus expe
eſt niſi Chriſtus Dominus. Iam om
ne peccatum vel tantillum, morte
infert, *Sixtus* lib. 5. bib. pat. idem do
cet. 826. pagina.

Q.

Cum concupiſcentia remaneat in re
natis, quæritur an peccatum ſit necne?

R.

Auguſtinus diſertè peccatum ap
pellat lib. 5. contra Iulia. cap. 3. S
cut cæcitas cordis quã ſolus remo
uet illuminator Deus, & peccatu
eſt quo in deum non creditur, &
pœna peccati qua cor ſuperbum
digna animaduerſione punitur, &
cauſa peccati cum mali aliquid cæ
ci cordis errore committitur; it
con

concupiſcentia carnis aduerſus; quã bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis; et pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobedientis; et cauſa peccati eſt defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.

Q.

Prohibenturne in decimo præcepto motus inuoluntarii?

R

Ita ex mente *Auguſti.* ep 200. ad *Aſel*; Hoc, inquit, lex poſuit dicendo, non concupiſcet, non quod hic valeamus, ſed ad quod proficiendo tendamus: vide lib. 1. de Nup. et concup. cap. 29. et *Bellar.* confeſsit onem lib. 5. de Amiſſ. gratiæ c. 10.

Q.

Quot ſunt præcepa primæ tabulæ? papiſtæ tantum tria faciunt, vt Idololatriam ſuam tueantur.

R.

Quatuor ſunt. *Procopius* in Exo. Non erunt tibi dii alieni prẹter me. Hoc primũ eſt præceptum, ſecundo ſermocinante de Idolis et Imaginibus; ni enim in hunc modum quis leges diſtinguat, non poterit in ordinem certum redigere Decalogum. Legantur *Orig.* in Ex. hom 8. *Atha.* in Synopſi, Author imperfecti operis in Mat. hom. 49. *Sulpitius Seuerus*, lib. 1. ſacræ Hiſtoriæ, *Ambroſius* & *Hieronymus* in 6. cap. ad *Epheſios*.

Q.

Poſſunt ne homines renati hæc præcepta perfectè ſeruare?

R.

Hoc tenere *Pelagianum* eſt. *Hieronymus* ad *Cteſiphontem* ſic *Pelagium* alloquitur: Facilia dicis eſſe Dei mandata, et tamen nullum proferre potes qui vniuerſa cõpleuerit. Lege lector lib. 2. contra *Pel.* ibi papiſtarum

pistarum argumenta soluta reperies.

Q.

Est ne ignorantia reponenda in numero peccatorum?

R.

Est. *Pelagius* apud *Hieronymum* lib. 2. Nonne legisti, inquit, qui viderit mulierem &c. Non ergo solus aspectus & incentuia vitiorum reputantur in peccatum, sed ea quibus tribuimus assensum, &c. Respondet *Hieronymus*, Callide argumentaris, volunt enim eloquia scripturarum ignorantiam habere peccatum; *Iob* offert pro filiis, ne fortè per ignorantiam peccauerint, &c.

Q.

Tenent *papistæ virginem Mariam immunem fuisse à peccato; quid scribunt patres hac de re?*

R.

Origenes infidelitatem ei ascribit,

homilia 17. in Lucam; si scandalum in morte domini mater non est passa, non est mortuus Iesus pro peccatis eius, &c. *Theoph.* & *Chrys.* superbiam Mariæ tribuunt, sed prolixitatem non amo.

De oratione.

Q.

Cum oratio non sit infima pars cultus Dei, dic quæso quis nam inuocandus est?

R.

Solus deus: *Irenæ.* lib. 2. cap. 59. ecclesia, inquit, inuocationibus Angelicis non facit aliquid, sed munde & pure, & manifeste dirigit orationes ad Deum qui omnia fecit.

Obiectio.

At lib. 5. Maria *appellatur* Æuæ *aduocata?*

Responsio.

Obiectio diluta est, nam fuit aduocata pariendo Christum, non orando pro illa: quî potuit *Eua Mariam*

Mariam inuocare, quæ necdum erat nata? Fuit itaque aduocata *Euæ* concipiendo & pariendo Christum, non orando pro illa.

Origenes idem docet cum *Irenæo* lib.5. contra *Celsum*. 731. pag. Hoc ipsum cohibebit ne quis audeat preces offerre nisi soli domino deo, qui vnus omnibus abundè sufficit, &c. lege lib.8.

Tertullianus in Apolo. cap. 30. Hæc ab alio orare non possum quã à quo me scio consequuturum, quoniam & ipse est qui solus præstat, & ego sum famulus eius qui eum solum obseruo, &c.

Arnobius lib. 6. 227. pag. Hoc est proprium deorum complere omnia vi sua, non partialiter vspiam, sed vbique esse totos, non adesse, non abesse —: quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis, & erit in dubio audiamur à diis necne.

Cyrillus lib. 9. in *Iohan*. cap. 42. li-

quido hic deum ſe verum oſtendit, ſuſcepturum enim orationes ſuorum ſe dicit, omnique conceſſurum eis, quæ petant, ſpiritales ſcilicet petitiones & à ſuperna maieſtate non alienas.

Ambroſius in ca. 1. ad Roma. Solent, inquit, pudorem paſſi neglecti Dei, miſera vti excuſatione, dicẽtes, Per iſtos poſſe ire ad Deum, ſicut per comites perveniturad Regem: age, nũquid tam demens eſt aliquis aut ſalutis ſuæ immemor? &c.

Conſtantinus apud *Euſebium* lib. 5. de vita *Conſtant.* ca. 3. hæc verba habet: Quod ſi demus plures deos eſſe, cui tandem preces et obſecrationes offeremus? Primo ne an poſtremo quem colere inſtituam, vt non in reliquos impius videar?

Epiphanius hæreſi 79. Nullus ſanctorum adoratur; Non enim nobis antiquus error dominabitur, vt relinquamus viuentem, et adoremus

remus quæ ab illo facta ſunt.

Auguſtinus de vera relig. 55. cap. Honorãdi ſunt ſancti propter imitationem, non adorandi propter religionem.

Iuſtinus Martyr Apolo. 2. 43. pag. Valde perſpicuum eſt: quem, ſi placet, adito.

Smirnenſis Eccleſia apud *Euſeb.* lib. 4. hiſt. cap. 14. Martyres tanquam diſcipulos Domini, digne propter inſuperabilum eorum in regem ipſorum ac præceptorem beneuolentiam diligimus, &c.

Chryſoſt. hom. 66. in Mat. Conſidera quomodo nullus Apoſtolorum eis affuit, ſed è diuerſo, quamuis multi eos repellebant, omni tamen impedimento ſuperato ad Ieſum peruenire voluerunt.

Nazianzenus de Spiritu ſancto, probat Spiritum eſſe Deum, quia inuocatur. Mitto *Theodoretum* & *Lactantium:* accedo ad patres quos

Bellarminus profert pro inuocatione Sanctorum. *Dionysius* suppositicius scriptor est, quin etiam existimo eum de viuentium Sanctorum precibus loqui, quippe antea mentionem fecerat *Samuelis* orantis pro *Saule*; & *Hieremiæ* pro populo Israelitico.

Eusebius fæde corrũpitur, quemadmodum in alio opere declaraui. *Athanasius* adulterinus scriptor est. *Basilius* & *Nazianzenus* quibusdam Rhetoricari videntur; sic etenim solet *Nazian.* qui in oratione ad 150. patres, cũ Episcopatu se abdicaret, valedicit Cathedræ, Templo, Psamodię, aliisque id genus rebus. *Chrysostomi* homilia 66. spuria est: opera *Ephrem* suppositicia sunt & etiam *Cyrilli*. *Gesnerus* in biblio. *Mornæus* de *Missa*, 326. pag.

Theodoretum Theodoreto oppono, vide illum in secundum cap. ad *Coloss.* *Damascenus* nouitius scriptor

est

est, sic *Theophylactus* etiam. *Ambrosii* dictum indignum *Ambrosio* est: in *Hieronymo* non est inuocatio, sed apostrophe mortuam alloquitur quasi viuentem. *Ruffinus* tantùm factum *Theodosii* refert, quod de viuentium precibus intelligitur. Ad *Bellarmini* poetas quod ille lib. 2. de purgator. respondit, idem ego respondere possum, Nihil aliud dico (inquit) nisi more poetico lusisse *Prudentium*. *Augustinus* dicit *Martyres* magis pro nobis orare, quàm vt nos pro eis oremus: at hoc dictũ nihil concludit, est enim comparatiuum, at comparatio non concludit. *Herosolyma* iustificauit *Sodomam*, ergo *Sodomá* iusta fuit, vitiosa est consequenta. Si quis obiiciat *Augusti.* de baptis. contra Donat. lib. 5. cap. 17. & lib. 7. c. 1. *Respondeo* nullam ibi inuocationem fieri, sed potius optionem. *Augustinus* etiam loquitur de generali piorum voto:

Beati

Beati in cœlis perfectam liberationem Ecclesiæ cupiunt. *Hilarius* loquitur de custodia Apostolorum, sed hoc intelligi potest de exemplo vitæ & doctrina Apostolorum: alter locus loquitur de intercessione, *Angelorum*, non quod orandi sunt, sed quod eorum ministerio vtitur Deus, iam verò non vtitur ministerio Sanctorum. De reliquis patribus nihil dicam, sunt enim recentes, vel saltem non tantę authoritatis in Ecclesię, quantę prædicti patres sunt.

2.

Postquam fuse ex patribus docuisti, quis orandus est, doce quæso qua lingua precandum est?

R.

Lingua icognita; sic etenim Ecclesia antiqua orauit. *Iustinus* secunda Apolo. Omnes communiter precationes profundimus, &c. *Origenes* contra *Cel.* lib. 8. Germani Christiani

Christiani singuli precantur in propria lingua,&c. *Basilius* Epistola 80. idem declarat; sic etiam *Chrysosto.* hom. 18. in 2. Epist. ad Corin. multique alii patres.

De Purgatorio.

Q.

Redeunt ne animæ defunctorum ad viuos?

R.

Nequaquam. *Theophylactus* in 8. Mat. Anima egressa in mundo non errat: Iustorum enim anima in manu Dei sunt; peccatorum verò & ipsæ huic abducuntur. *Chrysostomus* hom. vltima de *Lazaro*, & *Athanasius* quoque idem docent.

Q.

Quinam patres tollunt purgatorium?

R.

Olympiodorus in 21. c. Eccles. hæc verba habet: In quocunque loco deprehenditur homo cum moritur, in eo gradu atque ordine permanet

net

net in ęternum, nam vel requiescit in lumine fœliçitatis æternę cum iustis & Christo domino, vel in tenebris cruciatur cum iniquis & principe mundi huius Diabolo: lege *Iustinum* quęst. 60. & 75. *Epipha.* 59. hæresi *Augusti* 232. ser. de tempore. *Euseb.* lib. 13. de præpara. Euangelica.

Q.

Quare ergo errabant pro defunctis?

R.

Preces pro defunctis non stabiliunt purgatoriũ, nam Sanctis petere potuerunt augmentum gloriæ alicuius accidentalis; fortasse etiam petebant gloriam corporis in die resurrectionis: orabant etiam pro damnatis vti multis testimoniis probare potui. Iam verò vt opinionem de purgatorio incertam esse omnes intelligant, videamus papistarum harmoniam.

Quidam Catholici, inquit *Bellarminus*,

minus lib. 2. de purgator. c. 3. tenent animas in purgatorio mereri posse. Negat ipse *Bellarminus*.

Animę in purgatorio certę sunt de salute sua, inquit *Bellarminus*, l. 2. cap. 4. contrarium docent quidam Catholici.

Dominicus à *Soto* tenet, neminem esse in purgatorio ad decem annos, *Bellar.* lib. 2. de purg. cap. 9. Negat *Bellarminus*.

Thomas 2. secundæ, quæ. 8. 3. art. 11. responsione ad tertium argumentum: Illi qui sunt in purgatorio, inquit, etsi sunt superiores nobis, propter impeccabilitatem, sunt tamen inferiores quantum ad pœnas quas patiuntur; & secundū hoc non sunt in statu orandi sed magis vt oretur pro eis at *Bellar.* lib. 2. de pur. dicit, non incredibile esse etiam animas purgatorii pro nobis orare.

Thomas in supplemento, quę. 4. art.

art. 3. reſ. ad ter. tenet quod pęna quam animę in purgatorio ſuſtinent, non poteſt proprie dici ſatisfactio; quia ſatisfactio opus meritorium requirit, ſed largo modo dicitur ſatisfactio pænæ debitę ſolutio, *Bellarminus* lib. 1. de purga. c. 14. tenet poſſe ſatisfactionem eſſe ſine merito.

Michael Baius dicit, opera noſtra non eſſe niſi conditiones, ſine quibus non applicatur Chriſti ſatisfactio. Negat *Bellarminus*, lib. 1. de purgato cap. 14.

Quidam afferunt peccata venialia non remitti in purgatorio, contrarium tenet *Bellar*. cap. 14. lib. 1. de purgat. Mirum ni purgatorium papę culinam calefeciſſet, tam ſuauis harmonia eſt inter papiſtas de re tanti momenti.

De Libero Arbitrio.

Q.

Quænam homini reſtat libertas poſt pec-

peccatum ad implenda præcepta?

R.

Non tollimus liberum arbitrium, id eſt, voluntatem, ſed dicimus cum *Proſpero*, lib. 1. de vocatione gentium, cap. 3. hominem voluntatis ſanitate priuari, & profitemur cum Authore *Hypognoſt.* lib. 3. non procul ab initio, eſſe liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinēt ſine Deo aut inchoare, aut perficere; ſed tantùm in operibus vitæ præſentis, tam bonis quàm etiam malis; bonis dico quæ de bonis naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, &c. Nec valet exceptio *Bellarmini*, qui hinc probare vult, poſſe hominem ſine gratia aliquod bonum morale perficere, quia bona malis opponit: nam ipſe *Auguſtinus* circumſcribit ſententiam ſuam, opponens bona præſentis vitæ,

vitæ, malis, non bona moralia malis.

Q.

Alia Auguſtini *teſtimonia in medium adduci cupio?*

R.

Adducam. Lib. de Natura & gratia 53. cap. hæc verba habentur. Quid tantũ de naturæ poſsibilitate præſumitur? vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt: vera confeſsione non falſa defenſione opus habet; gratia ergo dei non qua inſtituatur, ſed qua reſtituatur, quæretur: rurſus lib. 3. ad *Bonif.* cap. 8. Liberum arbitrium captiuatum, non niſi ad peccandum valet, ad iuſtitiam niſi diuinitus liberatum non valet. Vide *Sixtum Senenſem* præfa. in lib. 5. biblio. vbi fatetur *Auguſtinum* minus tribuere liberæ hominis voluntati quàm par ſit.

Q.

Alios inſuper Patres audire geſtio?

R.

R.

Maxentius in libello fidei sic scribit: Liberum arbitrium naturale ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda & desideranda tantùm carnalia siue sæcularia, &c.

Prosper contra *Collat.* c. 21. Infidelitas rapuit fidem, captiuitas abstulit libertatem; nec potuit illic vlla portio residere virtutum, quò tanta irruperat turma vitiorum.

Fulgentius de Incarnat. & gratia, c. 13. Peccans *Adamus* qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quod animæ sanitatem delinquendo perdidit, etiam illa cogitandi quę ad deum pertinent, amisit prorsus facultatem.

Q.

Estne necessitas peccandi?

R.

Est. *Bernardus* 81. serm. in *Cantica.* Nescio, inquit, quo prauo & miro modo, ipsa sibi voluntas, pec-

cato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, vt nec neceſſitas, cum voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem, nec voluntas cum ſit illecta, excludere neceſſitatem. Eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria, &c. *Auguſtinus* de Natura & grat. cap. 66, *Bernardo* aſtipulatur, Quod autem (inquit) ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ, ſit quædam peccandi neceſſitas, audicit homo, &c.

Q.

Poteſtne homo conſentire gratiæ oblatæ?

R.

Non poteſt, niſi conſenſus à Deo detur. *Bernardus* de gratia & libero arb. Non equidem (inquit) quod vel ipſe conſenſus in quo omne meritum conſiſtit, ab ipſo ſit, ſcilicet libero arbitrio, cum nec cogitare (quod minus eſt quàm conſentire) aliquid à nobis quaſi ex nobis ſuffi-

ſufficientes ſimus *Petrus Diaconus* de Incar. c. 6. Fruſtra dicunt qui garriunt, meum eſt velle credere, dei autem eſt gratiâ adiuuare, cum etiam ipſum credere, quod eſt conſenſum præbere veritati, nobis à deo dari teſtetur Apoſtolus, &c. dat autem Deus velle credere cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violenta neceſſitate, ſed infundendo ſuauitatem per Spiritum ſanctum.

De cælibatu ſacerdotum.

2.

Cum cælibatus ſacerdotum res ſit ſpecioſa hominibus; atque humano ingenio plauſibilis, profer authoritates quæſo pro coniugio miniſtorum?

R.

Eſt, fateor, cælibatus res ſpecioſa, ſed coniugium miniſtrorum non deſtituitur teſtimoniis hominũ, vtcunque reſpondere potui verbis *Rhenani*, in *Tertul.* de exhorta. ad caſti;

casti. qui agnoscit veteres omnes atque adeo *Hieronymum* ipsum, matrimonio parum æquos fuisse; sed alia aggrediar via, atque patrum testimonia in medium producam.

Tertullianus Montanista factus, lib. de *Monoga.* c. 12. sic veram Ecclesiam ob Digamiam Episcoporum exagitat, Quot enim (inquit) Digami præsident apud vos insultantes vtique Apostolos? &c.

Eusebius lib. 3. Hist. c. 27. ex *Clemente*, An & Apostolos reprobant? Nam *Petrus* & *Philippus* liberis procreandis operam dederunt, &c.

Socrates lib. 1. cap. 8. & *Sozomenus* etiam, insignem narrant Historiam de *Paphnutio* pro coniugio sacerdotum, At *Socrates*, inquit *Bellar.* l. 5. c. 21. tria clara mendacia dicit, primò licuisse suo tempore vnicuique celebrare pascha quando vellet, nec de hac re Ecclesiam certi aliquid statuisse. Respondeo, *Socrates* de solis

lis, *Nouatianis* loquitur. Secundò dicit in Romana Eccleſia, non ieiunari ante paſcha niſi tres hebdomadas, & tamen vocari quadrageſimam. Reſpondeat ipſe *Bellarminus* lib. 2. de bonis operibus in part. c. 15. Probabile eſt codicem *Socratis* eſſe corruptum, & pro tribus ſeptimanis ſcribendum eſſe quinque, vt numeri quos ipſe ponit, ſe conſequantur. Tertiò dicit, Romæ non ieiunari in ſabbatis, cum tamen contrarium ſit certum ex *Aug.* 86. & 118. Epiſt. Vereor ne ipſe *Bellarminus* hic mentiatur; verba etenim *Socratis* hęc ſunt: Romæ ſingulis ſabbatis ieiunant. Cum itaque *Bellarminus* nullum mendacium in *Socrate* deprehenderit, pergam in *Socrate*, qui in eodem cap. ſic ſcribit. Non pauci Epiſcopi, dum Epiſcopatum gerunt, etiã liberos ex vxore legitima procreant: legatur idem author l. 2. c. 33.

Memorabile est *Synesii* dictum apud *Nicep.* l. 14. c. 55. Mihi & Deus ipse, & leges, ipsaque sacra *Theophili* manus vxorem dedit: quapropter omnibus prædico testatumque esse volo, me illam prorsus deserturum non esse, &c.

De Sacramentis.

Q.

Quot instituit Christus Sacramenta?

R.

Duo. *August.* l. 3. de doctri. Christ. c. 9. Hoc verò tempore posteaquam resurrectione Domini nostri Iesu Christi manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit nec eorum quidem signorum, quæ iam intelligimus operatione graui onerati sumus, sed quędam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramentum, & celebratio

bratio corporis & ſanguinis Dominici idem ab eodem docetur Epiſt. 118.

Iſidorus l. 6. *Orig.* c. 19. Sunt autem Sacramenta baptiſmus, & chriſma, corpus & ſanguis Chriſti: chriſma autẽ reiiciunt orthodoxi, quia non reperitur in ſacris literis.

Paſchaſius l. 1. c. 3. eadem penè verba habet, ſed nonnulla exemplaria omittunt chriſma, & meritò; nam Baptiſmi naturam explicat, chriſma autem prorſus omittit.

Q.

Conferuntne Sacramenta gratiam ex opere operato: ipſa ſcilicet elementa ex ſe & per ſe, virtute corporali actiue, efficienter, & immediatè?

R.

Nequaquam. *Gregorius Niſſenus* de baptiſmate: Hoc beneficium, inquit, non aqua largitur, eſſet enim omni creatura ſublimior; ſed Dei

pre-

præceptũ & ſpiritus, quî myſticè ad noſtram libertatem venit: acceſſus verò aquæ ſubſernit ad oſtendendã purgationẽ, quoniã enim ſordibus & cæno fœdatum corpus lauantes purum reddere ſolemus, etiam in myſtica actione eam adhibemus, re ſub ſenſum cadente incorporeum ſplendorem ſignificantes.

De Baptiſmo.

Q.

An exiſtimas Baptiſmum eſſe abſolute neceſſarium, ad ſalutem?

R.

Non exiſtimo. *Auguſti.* l. 4. de bap. c. 22. Tunc impletur inuiſibiliter, cũ myſteriũ baptiſmi non cõtemptus religionis, ſed articulus neceſsitatis excludit. *Bern.* Epiſt. 77. Non carere baptiſmo, ſed contemnere capitale eſt.

Q.

Quamobrem ergo vrgetur neceſſitas baptiſmi totics ab Auguſtino?

R.

Contra *Pelagianos* vrgetur, qui

baptiſma ſuperfluũ eſſe aſſerebant, non itaq; ſine cauſa vrgebat *Auguſtinus* neceſsitatem baptiſmi, contra eos qui eiuſdem cõtemptores fuere.

Q.

Fuitne pluris Baptiſma Chriſti *quã* Iohannis *necne?* R.

Prudentius hym. 7. cathem. ſic cecinit de *Iohannis* Baptiſmo.

Hoc ex lauacro labe dempta criminum,
Ibant renati non ſecus quàm ſi rudis
Auri recocta vena pulchrum ſplendeat
Sudum polito prænitens purgamine.

Ipſe *Auguſti.* lib. 5. cap. 10. dicit, Se non pugnaciter acturum ſi quiſquam in baptiſmo *Iohannis* peccata dimiſſa fuiſſe contendat.

De cœna Domini.

Q.

Papiſtæ appellationem hanc, videlicet cœnam dominicam, reſugiunt, doce quæſo, quiſnam patrum ita loquitur?

R.

Auguſtinus 33. de verbis Domini, in vno breui Sermone vicies Sacramentum

cramentum hoc, cœnam dominicam appellat, malè itaque ſibi conſulunt papiſtæ, qui hoc nomen auerſantur, vide *Eligium* pag. 505. tom. 2.

Q.

Nonne Miſſæ nomen melius conuenit huic Sacramento?

R.

Non melius conuenit, nam *Miſſæ* nomen in patribus non magis notat papiſticam *Miſſam*, quam excommunicatio ſignificat communionem. *Miſſa*, inquit *Iſidorus*, lib. 6. *Orig.* cap. 19. tempore ſacrificii eſt quando catechumeni foras mittuntur, clamante Lenita, Si quis catechumenus remanſit, exeat foras, & inde Miſſa, quia Sacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur.

Q.

Nomine huius Sacramenti ſatis enodato, narra mihi, quæſo, qui patres tran-

transubstantiationem oppugnant, nam hoc dogmate euerso, reliqua facilè corruent?

R.

Non subterfugiam quo minus tibi narrem. *Gelasius* de duabus in Christo naturis, Sacramẽta, inquit, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, Diuina res est, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen esse non desinit substantia panis vel vini.

Theodoretus dialogo primo, Qui enim inquit, quod naturâ corpus est, triticum & panem appellauit, & vitem rursus seipsum nominauit, is Symbola et signa quæ videntur, appellatione corporis et sanguinis honorauit, non naturam quidem mutans, sed naturæ gratiam adiiciens. Rursus dialogo secundo, Quæ ipse texuisti retibus captus es, neque enim signa mystica post sanctificationem,

ficationem, recedunt à ſua natura, manentem in priore ſubſtantia, & figura & forma, & videri & tangi poſſunt ſicut & prius: intelliguntur autem ea eſſe quę facta ſunt, & creduntur, & adorantur vt quæ illa ſunt quæ creduntur.

Chryſoſtomus opere imperf. in *Mat.* hom. 11. Si enim vaſa ſanctificata, inquit, ad priuatos vſus transferre peccatum eſt, ſicut nos docet *Baltaſar*, qui bibens in calicibus ſacratis, de regno depoſitus eſt; ſi ergo hæc vaſa ſanctificata ad priuatos vſus transferre ſic periculoſum eſt, in quibus non eſt verum Chriſti corpus, ſed myſterium corporis eius continetur; quanto magis vaſa corporis noſtri, quæ ſibi Deus ad habitaculum præparauit? &c.

Tertullianus, lib. 4. contra *Marcio.* cap. 40. Acceptum panem, inquit, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum fecit, hoc eſt corpus meũ dicendo,

dicendo, id est, figura corporis mei; figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus, cęterum vacua res quod est *Phantasma*, figuram capere non posset. Idem *Tertullianus*, lib. 5. cap. 8. Panis & calicis Sacramento, iam in Euangelio corporis & sanguinis dominici veritatem probauimus aduersus *Phantasma Marcionis*.

Augustinus l. 21. de Ciuitat. dei cap. 25. Nec ergo isti dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt; vt enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi & membra meritricis, &c.

Cyrillis cate. 3. Quemadmodum panis Eucharistię post Spiritus sancti inuocationem, non amplius est communis panis, sed est corpus Christi; sic & sanctum hoc vnguentum, non est amplius vnguentum nudum atque commune postquam

iam

iam, consecratum est, sed est charisma Christi.

Q.

Quid existimas de communione sub una specie?

R.

Non est, inquit *Micrologus*, c. 19. authenticum, quòd quidam corpus Domini intingunt, & intinctũ pro complemento communionis populo distribuunt; nam ordo Romanus contradicit, &c. Postea subiungit beatus *Gelasius* papa in ordine, 51. scribens quibusdam Episcopis, excommunicari illos præcepit, Quicunque sumpto corpore dominico, à calicis participatione se abstinerent; nam & ipse in eodem decreto asserit, huiusmodi Sacramentorum diuisio sine grandi sacrilegio prouenire non poterit.

Q.

Missane priuata à patribus improbatur necne?

R.

R.

Improbatur, Fatendū eſt, inquit *Walfridus Strabo*, cap. 22. illam eſſe legitimam Miſſam, cum interſunt ſacerdos, reſpondens, offerens atq; communicans, ſicut ipſa conceptio precum, euidenti ratione demonſtrat, &c.

Q.

Quid tibi videtur de ſacrificio Miſſæ?

R.

Iuſtinus dial. cum *Tryphone*, pag. 270. ſacrificium Miſſæ verbis efficacibus & acerbis perſtringit, dum ſcribit ad hunc modum: Porro ſupplicationes ſimul & gratiarum actiones, quæ à dignis peraguntur, ſolas perfectas eſſe & deo caras victimas, ipſe quoque affirmauerim; has verò ſolas facere Chriſtiani didicerunt, in ipſius etiam alimoniæ ſuæ recordatione, aridæ iuxtà & liquidæ.

Q.

Q.

Quare ergo appellatur Cœna dominica ſacrificium?

R.

Aquinas 3. par. 83. quæ. art. 1. reddit rationem; Duplici, inquit, ratione celebratio huius Sacramenti dicitur immolatio Chriſti, primò quidem quia ſicut dixit *Auguſt.* ad Simpli. ſolent Imagines earum rerum nominibus appellari quarum Imagines ſunt — celebratio autem huius Sacramenti Imago quædam eſt repræſentatiua paſsionis Chriſti, quæ eſt vera eius immolatio — alio modo quantum ad effectū paſsionis Chriſti, quia ſcilicet per hoc Sacramentum participes efficimur fructus dominicæ paſsionis.

Q.

Miſſa à quo compoſita?

R.

A *ſcholaſtico*, teſte *Micrologo*, cap. 12. Beatus *Gregorius* inquit etiam com-

compilatio Chronologica, pa. 721. dicit in Regiſtro, quod canonem quidam ſcholaſticus compoſuit.

De Imaginibus.

Q.

Sæpe miratus ſuus papiſtas tam hebetes eſſe, vt opera hominum colerent: num Patres de cultu Imaginum nihil loquuntur? R.

Imo patres copioſe explicant ſententiam ſuam, de operum humanorum cultu. Nobis (inquit *Clemens Alex.* exhort. ad gentes) non eſt ſenſilis Imago materię, ſenſilis, ſed quæ percipitur intelligentia.

Arnobius l. 6. obiectionem ethnicorum proponit his verbis: Deos inquitis, per ſimulachra veneramur. Reſpondet, Quid ergo ſi hæc non ſint? coli ſe dii neſciunt, nec impertiri à vobis vllum ſibi exiſtimabunt honorem? Quid opus eſt *Lactantii* teſtimoniis? ea certè multa ſunt, quæ alibi à me pro-

lata sunt, actum non agam.

Tertullianus de Idololatria c. 4. Sed ait quidã aduersus similitudinis interdictæ propositionem, cur ergo *Moses* in eremo, simulachrum serpentis fecit? Idem Deus qui vetuit lege, similitudinem fieri, extraordinario præcepto, serpentis simulachrum indixit.

Augusti. con. 2. in Psal. 113. Nec quisquam dicat, Non hoc visibile colo, sed numẽ quod illic inuisibiliter habitat: ipsa ergo numina in alio psal. scriptura damnat, &c.

Ambros. ser: 10. in psal. 118. *Gentiles* lignum adorant, punâ dei Imaginẽ putant sed inuisibilis Dei Imago, non in eo est quod videtur, sed in eo vtique quod non videtur.

Minut. Fœlix in *Octauia.* Cur nullas aras habent, nulla templa, nulla nota simulachra? verba gentilium & ethnicorũ sunt. Ne multus sim, lege Lector Orig. l. 8. contra *Celsum.*

ſum. Epiphanium Epiſto. ad *Iohan. Greg.* l. 9. Epiſt. epiſt. 9. *Walfridũ* c. 8. deniq; *Ionam* contra *Claudium Dauinienſem.*

De Fide.

Q.

Profluitne omne peccatum ex infidelitate? R.

Primaſius in 11. cap. ad Romanos ita docet. Incredulitas, inquit, non eſt vnius generis; omne peccatum ex Infidelitate deſcendit, ſicut oſtenditur in Scripturis, quia non crediderunt verbis Dei, etiamſi Deo crediderunt peccatores.

Q.

Quid tibi videtur de fide implicita?

R.

Audi Synodũ Rhemenſem An. Do. 813. Eſt de ratione fidei vt vnuſquiſque iuxta intellectum ſuæ capacitatis diſceret & intelligeret. c. 1.

Q.

Quis author diſtinctionis fidei in hiſtoricam & aeternam?

R.

Augustinus cap. 50. de vera religione; Et quæ (inquit) sit stabilis fides, siue historica & temporalis, siue spiritualis & æterna, ad quam omnis interpretatio authorititas dirigenda est.

Q.

Potestne vera fides separari à dilectione & bonis operibus?

R.

Chrysostomus homil. 8. in 2. Epist. ad *Timo.* asserit quod fides sine operibus figura est solum absque virtute. Quid est fides, inquit *Bernardus*, 24. serm. in Cant. quę non operatur ex dilectione, nisi cadauer exanime? *Philo* Episcopus in Cant. Fides sine operibus est mortua. *Hildebertus* ser. 2. dicit fidem sine operibus esse monetam sine argento. *Augusti.* ser. 181. de temp. Cum dilectione fides Christiana, sine, fides dæmonum. *Didimus* in Episto.

Iacobi

Iacobi; Notandum quia cum fides mortua sit prẹter opera, iam neque fides est. Nam neque homo mortuus est homo.

Q.

Versatur ne fides in propositionibus specialibus, (videlicet) in huiusmodi: ego ad vitam æternam ingrediar, aut, mihi peccata remissa sunt?

R.

Equidem *Cyprianus* de Mortali. Si tibi vir grauis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes vtique pollicenti fidem, nec falli & decipi, ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque actibus suis scires: nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredula perfidus fluctuas? Deus tibi recedenti de hoc mundo immortalitatem pollicetur, atque æternitatem, & tu dubitas? hoc est Deum omnino non nosse, hoc est Christum credentium Magistrum, peccato incredulitatis offendere;

hoc est in Ecclesia constitutum, fidem in domo fidei non habere. Lege *Augusti.* lib. 4. de Symb. ad catec. cap. 7. & lib. 2. cap. 10. ser. 7. de verbis Domini, & *Bernardum* ser. 1. de Annunt.

Q.

Nonne est Symbolum totum fidei obiectum vtcunque breue sit?

R

Ita sentit *Augustinus*, Ser. 115. de temp. Est, inquit, Symbolum comprehensio fidei nostrę simplex, breuis, plena, vt simplicitas consulat audientium rusticitati, breuitas memorię plenitudo doctrinæ & ser. 119. Symbolum est breuiter complexa regula fidei, vt mentem instruat, non oneret memoriam.

Q.

Estne huius semel traditi boni perpetua possessio?

R.

Est sane. *Augusti.* ser. 16. de verbis

bis Apoſto. Fides ergo quę per dilectionem operatur, ſi eſt in vobis pertinetis ad prædeſtinatos, ad iuſtificatos, ad vocatos: conſule cap. 7. de corr. & gratia.

2.

Quinam ſunt illi patres qui aſſerunt nos ſola fide iuſtificari?

R.

Sunt certe & multi, & magnæ authoritatis in Eccleſia. *Baſilius* de humilitate, Nã ea, inquit, perfecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo, quando neque propter ſuam ipſius quis iuſtitiam extollitur, ſed agnoſcit ſe quidem vera iuſtitia deſtitui, ſola verò in Chriſtum fide iuſtificari.

Chryſoſtomus hom. 5. in 2. ad Ephe. Ex ſola quippe fide nos ſaluauit. *Nazianzen°* περὶ εὐταξίας δίκαιοσύνη γὰρ τὸ πίστευσαι μόνον, Iuſtitia eſt vel credere tantùm. *Theodoretus* lib. 7. de curandis Græcorum affectibus: Neq;

vllis

vllis operibus, sed per solam fidem mystica bona consequuti sumus.

Theophylactus in 5. cap. ad Gala. Fides sola in se habet iustificandi virtutem. *Origenes* lib. 3. in cap. ad Romanos. *Hilarius* cano. 8. in Mat. *Ambrosius* in 3. ad Romanos & in 4. & in 1. c. 1. Epist. ad Corin. idem docent. *Augustinus* in Psal. 88. Sola fides Christi mundat. *Theodulus* in primum cap. ad Roma. Nemo ex operibus seruari potest. *Hieronymus* lib. 1. contra Pelag. *Hychius* lib. 4. in Leuit. *Victor* in 3. Geno. Digni sunt qui legantur. *Marcus* eremita scripsit librum contra eos qui putant se ex operib⁹ iustificari: Regnum cœlorum, inquit, non est merces operum, sed gratia Domini fidelibus seruis præparata. *Bernardus* Sermone 22. in Cantica, Quisquis pro peccatis compunctus est, & sitit iustitiam, credat in te qui iustificas impium, & solam iustificatus

per

per fidem, pacem habebit apud te. Idem ser. ad milites. cap. 11. Porrò mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis iustitia imputatur. Eant nunc papistę & rideant Christi imputatam iustitiam.

Obiectio.

At patres dicunt, fideles sola fide saluari non posse. Chrysostomus *hom. 70. in Mat. ne fideles sola se fide saluari posse confidant, de pœna malorum differit; ita infideles ad fidem, fideles verò ad rectè viuendum cohortatur.*

R.

Respondeo, patres in huiusmodi dictis loqui de historica & mortua fide; nam etsi sola fides iustificat, tamen nō est solitaria, id est, vacua à bonis operibus. Deinde patres intelligendi sunt de via salutis, sola etenim fides saluat quatenus apprehendit Christum, cuius solius meritis saluantur credentes. At quatenus est instrumentum salutis, non est sola, sed frugifera, & bo-

na

na opera profert, vti arbor bona fructus bonos emittit.

De bonis operibus.

Q.

Dic mihi quæso an vlla sint bona opera absque fide?

Responsio.

Absit, inquit *Augustinus* l.4. contra *Iulia.* c. 3. vt sit in aliquo vera virtus nisi fuerit iustus; absit autem vt sit iustus verè nisi viuat ex fide, iustus enim ex fide viuet.

Q.

Quid existimas de meritis humanis?

R.

Existimo nulla esse. *Augustinus* Epist. 52. Merita verò quorumlibet hominum, quę sunt, quandoquidem illę, qui non cum mercede debita, sed cum gratuita gratia venit, omnes peccatores, solus à peccatis liber & liberator inuenit?

Basilius in Psal. 104. Manet sempiterna

piterna requies illos, qui in hac vita legitimè certarunt, non tanquam debitum operibus redditum, ſed ob munificentiſſimi Dei gratiam.

Nazianzenus in carminibus. Non lex, non decimę, me non opera bona ſeruabunt, tua autem gratia, tua miſericordia mihi ſtillet prophano, quam ſolam miſeris rex ſpem prębuiſti peccatoribus. *Bern.* etiam 61. ſer. in Cant. & ſerm. 1. de Anuntiatione, & *Fulgentius* lib. 1. ad Monimum inſignes huius veritatis teſtes ſunt.

Ob.

Nonne iuſtitia eſt remunerare opera?

R.

Reſpondet *Bernardus*, lib. de libero arb. verſus finem. Iuſtum eſt vt reddat quod debet, debet autem quod pollicitus eſt, et hæc eſt iuſtitia de qua præſumit Apoſtolus, promiſsio dei ſubnecteit continuò,

tinuò; alioquin si proprie appellentur ea quæ dicimus nostra merita, spei quædam sunt seminaria, charitatis incentiua, occultæ prędestinationis indicia, via regni, non causa regnandi.

Ob.

At Deus reddit vnicuique secundum opera:

R.

Respondet *Gregorius* in Psal. 142. Quod si illa Sanctorum fœlicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, vbi erit quod scriptum est, Tu reddes vnicuique secundum opera sua? si secundum opera redditur, quomodo misericordia ęstimabitur? sed aliud est secundũ opera, aliud propter ipsa opera reddere.

Ob.

At patres sæpe vocabulum hoc, meritum, vsyrpant.

R.

Respondeo, Patres appellant quodlibet

quodlibet opus bonum meritum. *Bellarmin.* l. 2. de grat. & lib. arb. c. 12. & l. 1. c. 14. vt concludam locum hunc de meritis, dicat vnuſquiſque pius cum *Bernardo*, Fateor non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritis regnum obtinere cœlorum; cæterùm duplici iure illud obtinens Dominus meus, hęreditate ſcilicet patris, & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterũ mihi donat, ex cuius dono iure illud mihi vendiçans nõ confundor.

De Satisfactionibus.

Q.

Quid de ſatisfactionibus apud patres legiſti?

R.

Ortæ videntur ſatisfactiones à *Montaniſtis*. *Tertul.* aduerſus *Pſy.* cap. 3. Itaque nos hoc prius affirmare debemus quod occulte ſubrui periclitatur: quantum valeat apud Deum inanitas iſta, et ante omnia

nia vnde ratio ipsa processerit, hoc modo promerendi Deum; tunc enim obseruationis necessitas agnoscetur, cum eluxerit, rationis authoritas à primordio recensendę.

Q.

Profer Patres contra satisfactiones.

R.

Proferam *Hieronymus* l. 2. contra *Pelag.* sanguis Christi purgat. nos ab omni peccato, tam in confessione Baptismatis, quàm in clementia pœnitudinis. *Chrysostomus* ho. 2. in 50. Psal. dignus est qui audiatur, Vbi, inquit, misericordia flagitatur, ibi interrogatio cessat; vbi misericordia postulatur, iudicium non sæuit, vbi misericordia petitur, pœnę locus nō est. *Augustinus* de verbis Domini ser. 37. Christus suscipiendo pœnā et non culpam, culpam deleuit & pœnam. *Marcus* Eremita in l. de Baptismo: Mandata ipsa non tollunt peccatum, hoc enim

enim per ſolam crucem factum eſt, ſed donatæ libertatis nobis limites cuſtodiunt.

De feſtis.

Q.

Habuerunt ne primi Chriſtiani feſta inſtituta ab Apoſtolis?

R.

Apoſtoli non inſtituerunt feſta. *Trypho.* apud *Iuſt.* 175. pag. Illud certè quidem ambigendo maximè miramur, vos qui veram iactatis religionem, & aliis hominibus præſtare vultis, cur nihil ab eis varietis, & vita degenda nihil à gentibus differatis, vtpote qui neque feſtos dies, neque Sabbatha ſeruetis, neque circumciſionem habeatis, atque inſuper in homine crucifixo ſpem collocatis. Lege tripartitam hiſtoriam, l. 9. c. 38. et *Orig.* contra *Celſum.*

De Ieiunio.

Q.

Q

Fuerunt ne ieiunia imperata ab Apoſtolis?

R.

Eccleſia apud *Tertullianum* lib. aduerſus *Pſy.* ſic loquitur. Itaque de cætero ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ Diſciplinæ, pro temporibus & cauſis vniuſcuiuſque, &c.

Proſper. lib. 2. de vita contemplā. cap. 23. Illi autem qui parciores videri volūt, & gloriam ſibi velut de abſtinentia diſtrictiore conquirunt, ſic ab omnibus animalibus iudicant temperandum, &c. Idem cap. 24. Ipſis verò catholicis Chriſtianis non nos propter abſtinentiam præferamus.

Amalarius l. 2. c. 5. Sed quid ad nos cum multa agamus ex conſuetudine præſentis Eccleſiæ, quorum authores non proferuntur ſpecialiter, ſicut nec obſeruationes quadrageſimalis

drageſimalis temporis. *Spiridion* libere carnibus veſcebatur in Quadrageſima, *Sozo.* l. c. 11. *Micrologus* c. 49. nec iuxta canones quadrageſimaliter ieiunare cenſemur ſi ante veſperam reficimur. Deniq; *Tertullianus* l. aduerſus *Pſy.* Locum *Tim.* ad *Tatianum* refert. c. 15.

De confeſsione Auriculari.

Q.

Mirificè ſibi placent papiſtæ in doctrina de confeſsione auriculari, nonne quaſo patres huic confeſsioni aduerſantur?

R.

Aduerſantur. *Chryſoſtomus* hom. 2. in 50. Pſal. Peccata tua dicito vt deleas illa, ſi confundaris alieno dicere, quia peccaſti, dicito Deo qui curat ea: hom. 4. de *Laza.* et 18. in Lucam, homil. 31. in 12. ad Heb; idem docet prædictus pater,

Caſsianus l. 20. collatio cap. 8. Quis eſt qui nō poſsit Deo ſuppli-

citer dicere, Peccatum meum tibi cognitum feci, vt per hanc confessionem etiam illud subiungere meatur, Et tu remisisti impietatem peccati mei? Quod si verecundia retrahente reuelare peccata tua coram hominibus erubescis, illi quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione nõ desinas, ac dicere, Iniquitatem ego cognosco, & peccatum meũ est contra me semper; tibi soli peccaui, & malum coram te feci: qui et absque vllius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio donare consueuit.

Socrates lib. 5. cap. 19. refert confessionem à *Nectario* sublatam fuisse, propterea quod diaconus Ecclesiæ cum muliere quadam dormiuerat. Mulò magis certè debet confessio papistica tolli: nam, vt refert *Aluarius Pelagius*, in l. 6. de planctu Ecclesiæ, Sacerdotes sæpe cum parochianis mulieribus, quas

ad

ad confessionem admittunt, scelestissime fornicantur.

Symbolum Nicænum.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, & omnium visibilium & inuisibiliũ factorem; & in vnum Dominũ Iesum Christum, Filium Dei, natum ex Patre vnigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex vero Deo, natum non factum, homousion, hoc est, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt et quæ in cœlo, & quæ in terra, qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus & homo factus est, & passus, & resurrexit tertia die, & ascẽdit in cœlos, et inde venturus est iudicare viuos & mortuos: Et in Spiritum sanctum. Dicentes autem erat quando non erat, aut non erat antequam fieret, & quia ex non extantibus

factus

factus est, aut ex altera substantia vel essentia dicentes esse, aut creatũ aut conuertibilem Filium Dei, hos tales anathemizat Catholica & Apostolica Ecclesia.

De origine Papatus.

Alexander primus, inquit *Wernerus*, statuit, vt vinum sit mixtum cum aqua in calice, propter repręsentandum vnionem Christi & Ecclesiæ; & oblatio fieret ex azymo modica quantitate: idem docet *Polidorus Virgil.* l. 5. c. 10. et etiam compilatio Chronologica.

Zephyrinus, authore *Platina*, instituit vt omnes Christiani, annos pubertatis attingentes, singulis annis in solenni die paschę publice communicarent: quod quidem institutum *Innocentius* tertius, deinceps non ad communionem solam, verum etiã ad confessionem delictorum traduxit. *Langius* in chronico. 795. pag. Idem testatur: plures decretales

cretales fecit, ſtatuitque, inquit, quod communicantes, prius confiterentur quotannis ad minus Paſchæ.

Blondus 35. pag. triumphantis Romæ. Inter Februa, inquit, fuit habita aquæ aſperſio, qua ſicut & nos gentiles vtebantur, quanquam mos ipſe prius à Græcis quàm à Romanis originem habuit. Vnde *Peteus* traditur abſoluiſſe *Patroclum*, et ab *Acaſto* abſolutum fuiſſe *Peteum* à cæde *Phoci* fratris ſui: cum interim *Ægeus Medeam* aquæ aſperſione luſtrauerit; quam opinionem *Ouidius* damnat his verbis, Ah faciles nimiũm qui triſtia crimina cædis fluminea tolli poſſe putatis aqua.

Idem *Blondus* 44. Sed ad gentiles redeundũ eſt cum ſupradicta, ſuorum animis viuentium, ac mortuorum animabus crederent, eis poſt ſepulturæ & funebrium munera

parentabant, non dissimiliter nostris, quando ad septimum diem aut anniuersarium, diuina in animarum suffragia celebrant officia.

Primus Pontifex, ni fortè fallor, inquit *Bellar.* l. 1. de sanct. beat. c. qui sanctos legitur canonizasse, videtur fuisse *Leo* papa tertius, de quo sic scribit sanct. *Ludgerus*, &c.

Petrus Guapheus dicitur inuenisse vt in omni precatione Dei genitrix nominaretur, eiusque nomen diuinũ inuocaretur, *Nicepho.* l. 15. c. 28.

Creuit honor sanctissimi Sacramenti, deuotione interna decrescente. *Vrbinus* quartus instituit primus festum corporis dominici & solennem illam processionem; & paulò post, Nouitas non potest reprehendi, omnia enim festa aliquãdo fuerunt noua, nec vlla inueniuntur instituta ab ipso Christo vel imperata in nouo testamento, *Bellar.* l. 4 eucharistię, c. 30. et 4. c. eiusdem libri.

Pri-

Primis temporibus, inquit *Walfridus Strabo*, c. 24. Communi vestimento induti Missas agebat *Stephanus* autem constituebant. Sacerdotes & Lenitas vestibus sacratis, in vsu quotidiano non vti nisi in Ecclesia tantum. Paulo post, Addiderunt in vestib° sacris alii alia, vel ad imitationem eorum quibus veteres vtebãtur sacerdotes, vel ad mysticæ significationis expressionem. De horis canonicis vide 25. c. de vasis verò 24. c. consulatur.

Tempore *Vitalliani* Pontificis circa annum domini 660. organorum vsus esse in Ecclesia cœpit si *Platinæ* credimus: si verò fidem habere volumus *Aimonio*, non ante *Ludouici Pii* tempora. *Bell.* l. 1. de bonis operibus in parti. cap. 17.

Calixtus teste compilatione chronologica, constituit ieiunia quatuor temporum.

Quidam catholici, inquit *Bellar-*

minus l. 1. de cleri c. 19. volũt decretum de ſacerdotũ cõtinentia, à *Syricio* incæpiſſe at Carth. 2. canõ. 2. hoc refellit. Reſpondet gloſſa, Apoſtoli docuerunt, exemplo non inſtitutione, vel conſtitutione iterũ à tempore *Siricii* papæ hic vocat antiquitatem; & rurſus ante tempora *Syricii* papæ ſacerdotes poterant contrahere Matrimonium. Deinde conſtan. ſexta Synodus interpretatur hunc canonem, vt vicis ſuę tempore tantum abſtineant: vltimò canones iſti turbantur in quibuſdam exemplaribus, vt petitio potius videatur quam decretum in illis canonibus contineri.

Innocentius, inquit *Sigebertus*, decreuit oleo ad vſus infirmorum, ab Epiſcopo conſecrato, licere vti, non ſolum Presbyteris ſed omnibus etiam Chriſtianis, in ſuam ſuorumque neceſsitatem vngendo. Idem refertur à *Wernero*.

Lego

Lego & relego, inquit *Otto Frisingensis* l. 6. c. 30. Romanorum regum & imperatorum gesta, & nunquam inuenio quenquã eorum ante hunc *Henricum* quartũ à Romano Pontificè regno priuatum.

Scotus fatente *Bellarmino*, l. 3. de Eucha. Sa c. 23. affirmat ante *Lateranense* concilium transubstantiationem, non fuisse dogma fidei.

Bonifacius Papa 67. inquit *Marianus Scotus*, post *Petrum* sedit mensibus 10. hic impetrauit à *Phoca Cæsare*, vt sedes Apostolica Romana caput esset Ecclesię, quum antea Constantinopolis primam omnium se scribebat.

Pontifex, inquit *Bellarminus*, l. 3. de Roma. Pont. c. 3. cæpit gladium temporalem, id est, temporale Dominium habere, ab anno quingentesimo nouagesimo nono, &c.

Concilium *Constantiense* sess. 13. decretum tulit pro calice laicis auferendo.

Canon

Canon Missæ, teste *Micrologo* c. 12. à Scholastico quodam fuit compositus, Compilatio chronologica pag. 721. sic scribit: *Gregorius* dicit in Regiſtro, quòd canonem quidã scholasticus composuit. Concludã negotium hoc de origine papatus Cum verbis *Bucchingeri* papistæ 219. pag. Res est plena horroris vel legere, vel meminisse, tantam tyrãnidem inter se exercuisse mutuò Pontifices Romanos: ô quantum degenerant à maioribus suis! & fieri non potuit in tanta crudelitate, vt pietatis Christianæ ratio haberetur; ne cui mirum sit interim, si qui abusus & peruersę opiniones in Ecclesiam irrepserunt.

REGVLÆ

REGVLÆ QVÆDAM obſeruandę in legendis Patribus, ex papiſtis deſumptæ.

Regula Prima.

PAtres veteres qui ante *Pelagium* floruerunt, quęſtionem de prædeſtinatione nunquam accurate tractarunt ſed incidenter ſolum, & quaſi per tranſitum illam attigerunt. *Bellar.* lib. 2. de grat. & l. arb. cap. 14.

2.

Patres, cum ad populũ verba facerent, ea dicebant quę vtiliora videbantur ad excitandos homines ad bona opera, eodem lib. et eodem cap. Hinc explicari poſſunt dicta quædam Patrum, liberum arbitrium, opera humana, & ſatisfactiones extollentium.

3.

3.

Patres quandoque per exceſſum loquuntur, *Bellarminus* lib. 2. de Miſſa, cap. 10. *Chryſoſtomus* ita per exceſſum eſt loquutus.

4.

Multi patres aſſerunt, omnes qui ſunt, qui fuerunt, quique futuri ſunt homines, excepto Chriſto, examinandos, probandos et aliquo modo vrendos igne conflagrationis mundanę in die iudicii, *Sixtus* ſenenſis, l. 5. annot. 171.

5.

Quicquid Pater aliquis hæreticum eſſe cenſet, non eſt continuò hæreticum, *Bellar.* lib. 4. de Amiſ. grat. cap. 11. *Philaſtrius* quoddam dogma tanquam hæreticum damnat. cap. 99. quod tamen non eſt hęreticum.

6.

Patres quandoque reiiciuntur à *Bellarmino*. Vide l. 3. de Amiſſione gratię

gratiæ cap. 2. & cap 11. eiuſdem libri, rurſus. cap. 6. libri de ſanctorum beatitudine conſulatur. *Cyprianus* reiicitur à *Bellarmino* cap. 11. lib. 4. de verbo Dei, quia traditiones reiicit.

7.

Patres omne bonum opus meritum, appellant, *Bellar.* l. 2. de gratia & lib. arbit. c. 12. & l. 1. c. 14.

8.

Opera nonnulla, quæ ſub patrum nominibus circũferuntur, non ſunt patrum nec Catholicorum ſcriptorum. *Bellar.* de gratia primi hominis, cap. 3. Ex his intelligi poteſt auctorem quæſtionum veteris ac noui Teſtamenti, non ſolum non eſſe *Auguſtinum*, ſed neque eſſe hominem catholicum.

9.

Veteres dum vnum errorem, omnium virium conatu deſtruere annituntur, ſæpe in alterum oppoſitum

tum errorem vel deciderunt vel decidisse videantur. *Chrysostomus* naturę nostræ vires plus æquo attollit. *Sixtus Senensis*, præfat in lib. 5.

10.

Veteres putabant suffragia fidelium infidelibus & impiis æterno supplicio dānatis, aliqua ex parte prodesse. *Sixtus Sen.* l. 5. annot. 47.

LAVS DEO.

FINIS.

S. Scriptura. p. 1.
Papa. p. 13.
Magistratus. p. 21.
Ecclesia. p. 27
Conciliis. p. 31.
Peccato. p. 42.
Oratione. p. 48.
Purgatorio. p. 55.
Lib. Arbitrio. p. 59.
Caelibata sacerdot. p. 63.
Sacramentis. p. 66.
Baptismo. p. 68.
Coena Dñi. p. 69.
Imaginibus. p. 77.
Fide. p. 79.
Bonis op.ib. p. 86.
Satisfactionib. p. 89.
Festis p. 91.
Confessione amic. p. 93.
Origine Papatus. p. 96.